

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

6. Ianis bifrons & quadrifrons.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

comprimitur, & quasi catulus simii amando suffocatur. De hoc idolo  
sepius fit mentio in divinis litteris, & Moloch appellatur.

Saturnum quoque exprimunt, quicunque tyrannice regnant, qua-  
les sunt turpissimi Mahometis sectatores, qui regnandi libidine, non  
aliter quam lupi grassantur in fratres, filios, parentes.

Pulsus à Jove Saturnus, & catenis adstrictus in tartaro, ut aliqui  
poëtarum fingunt, indicat, justo denique talione poenas dare sangu-  
fugas, & crudeles innocentum oppressores.

V. (e) Sed quomodo sub Saturno sanctissima legum majestas,  
& vis aequitatis viguit, quod supra indicavimus, cum ipse necando fi-  
lios, ipsius naturæ vincula tam nefariè violarit? Respondens Mytho-  
logus lib. 2. c. 1. At illud, inquit, scire convenit, homines tunc sim-  
plices, non ad Saturni exemplum vivere solitos, sed ad legum ab ipso  
institutarum rationem. Semper enim fuit is regnantium furor, ut cum  
vel filius, vel frater, vel conjunctus in aliquam suspicionem inciderit,  
corrunt è vestigio omnia naturæ vincula, nec quidquam magis pericu-  
losum est, aut minus constans, quam regnantium amicitia. Huc ac-  
cedebat, quod homines in imperio constituti, severissime cæterorum vi-  
tia puniant, quibus ipsimet sunt obnoxii, neque comites habere scelerum  
facile patientur. Quod vero aurea Saturni ætate, flumina lactis & ne-  
ctaris fluxisse, damas cum canibus, oves cum lupis lusisse feratur; signi-  
ficarunt veteres, tunc temporis viros bonos, legum patrociniò tutos à  
sæariis & rei alienæ raptoribus fuisse, rectumque magis sua sponte,  
quam Principum ductu & exemplo coluisse.

VI. (f) Quod autem Saturnus in exilio non tantum ipse super-  
bos & feroce spiritus deposuerit, sed etiam in genus humanum bene-  
ficus, sationem primus docuerit Italiae incolas; docetur, rebus adver-  
sis mitigari ingenia aspera, & à necessitate bonas extundi artes. Hospi-  
talitatis quoque preium, insignie tulit Janus, dum fruges noviter in-  
ventas fertili segete messuit, & post mortem inter deos translatus est,  
templumque habuit Romæ, à Numa Pompilio positum, quod tempore  
belli patebat, tempore pacis cludebatur; unde *Patulcius* & *Clusius* co-  
gnominabatur. *Bifrons* etiam fuisse dicitur, quod ætatis suæ pruden-  
tissimus præterita sciret, & futura prævideret. Veleiam, quod tempo-  
rum Præses, annum aperiat & claudat. Vel, quod Principi necessaria  
sit prudentia, quam bello & pace pvideat, perpendatque, quid è re sit.

Bbbb 3

Un-

(e) Non tam Rex, quam lex pro exemplo habenda. (f) *Ianus bifrons*, aut *quadrifrons*  
enjus rei Symbolum.

*Unde quidam Janum quadrifrontem fecere, quasi in quatuor mundi plaga oculos, animumque vertentem; ne quid improvsum accidat, eveniatque. Sunt vero quatuor maximè partes Prudentia. 1. *Astutia* mentis, quā rebus in dubiis cautum captatur consilium, & acutè dispicitur ac dijudicatur, quid bonum, quid malum, quid inutile, quid commodum sit. *Versutia* nomen assumit, cùm in malum, & varias simulationes se contulerit. 2. *Memoria*, quā repetit animus, quæ fuerunt, ut ex præteritis sapiat. 3: *Intelligentia*, per quam persciuntur, quæ cuique rei tractandæ convenientia; cuius contrarium *Ignorantia* & *Socordia*. 4. *Providentia*, quæ futura spectat, mature consilium capit vel bona persequendi, vel mala avertendi, aut æquo animo tolerandi. Plura possent de Saturno, ejusque hospite Jano afferri, nisi redirent aliis locis, hic dicenda. De Planeta, cui Saturno nomen, nihil attinet meminisse; cùm ejus natura, constitutio, circumvolutio, effectus magis pertineant ad Mathematicos & Physicos, quād ad Poëtas & Ethicos, ad quos Symbola nostra referimus. Libet de Saturno falcato sene, & infantem devorante, breve carmen apponere:*

Annorum dirus pater, Annorumque necator,  
Quæcunque ediderit Tempora, Tempus edit.  
Magnorum largitor opum, largitor honorum,  
Omnia quæ donat, devorat iste senex.  
Heu quid opes, quid regna? tuum nihil est nisi virtus:  
Hic vorat illa senex; hunc vorat ista senem.



SYM-